



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011857X

§. 129. Moscoviæ Principis ultio in Livonicos parata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

Sæcul. XVI.

A. C. 1557.

§. CXXIX.

Moscoviæ Principis ultio in Livonicos parata.

*Spond. hoc
ann. n. 17.*

Rer. Polon.

tom. 3. p. 55.

Et Rer. Mos-

cov. p. 217.

ap. Schard.

op. hist. to. 3.

Hoc eodem anno ob Religionis causam in Livonia nonnulli suscitabantur tumultus; quippe Joannes Basilius II. Moscoviæ, & Russiæ Princeps, qui circa annum Domini millesimum quingentesimum trigesimalimum quartum Basilio IV. Patri suo successerat, universam ferme Livoniam devastabat, ut vindictam sumeret de Livoniensibus, qui fidem tam ei, quam illius Patri datam, ac jurejurando firmatam violarunt, nam invecta Lutheri hæresi plura destruxerunt templa, quæ Mercatores Russi ritum Græcum observantes in civitatibus Livonicis, Rigæ, Revaliæ, Terbati, seu Torpati, aliisque in locis sibi construxerant; quinimo ad majus Religions ludibrium Ecclesiam, quæ Torpati erecta erat, in foricam excipiendis excrementis destinatam converterunt. Hisce sacrilegiis, eorumque, qui tam nequiter Religionem contempserant, injuriis ultra modum exacerbatus Basilius ultionem de iis sumere decrevit, cum autem ipse fatis fungeretur, priusquam quinquennales exspirarent induciæ, quas violare summæ Religioni ducebant Rutheni, hinc propositum suum exequi præpediebatur, & quamvis

vis Joannes Basilides eodem Religionis Sæcul. XVI.
 zelo accensus consilium, quod ejus Pa- A.C. 1557.
 ter in opus deducere haud poterat, exe-
 qui Anno Christi millesimo quingen-
 tesimo quinquagesimo aggredetur, E-
 piscopi tamen Torpatensis, qui propior
 erat periculo, diligentia, ac solertia in-
 ductus est, ut inducias, quæ cum ejus
 Patre initæ jamjam anno millesimo quin-
 gentesimo quinquagesimo suo fini ap-
 propinquabant, ad quinque adhuc an-
 nos extenderet, his tamen legibus, ut
 Moscorum templa Rigæ, Revaliæ, ac
 Torpati destructa reficerentur, ac tribu-
 tum a Provincia Torpatensi pendi o-
 lim, ut ajebat, solitum imposterum sine
 fraude solveretur, aliisque nonnullis
 querelis satisfaceret: hæc ergo si bona fi-
 de fervarentur, induciis illis exactis,
 quindecim annorum pacem Basilides
 promittebat.

Evoluto hoc temporis spatio, quamvis
 Livonienses pactis minime starent, Joan-
 nes tamen Princeps, invitis licet suis
 Ministris triennales iterum inducias eis
 concessit, sub iisdem conditionibus nu-
 perrime relatis, præter quas Joannes
 adhuc ab eis exigebat, ut ex Provincia
 Torpatensi singuli homines quotannis
 singulas marchas Germanicas tributi
 loco persolverent exceptis Catholicæ
 Religionis Sacerdotibus, quos ab hac

Oo 5 exactio-

Sæc XVI.
AC 1557. exactione exemptos volebat: verum licet hæc conventio Sacramento, & osculo Crucis firmaretur, ne tunc quidem aliquid præstitum est.

§. CXXX.

Livoniensium Legatio ad Moscovitas pro obtinenda pace.

Thuan. l. 21.
n. 5. **Q**uamvis Livones rursus datam fidem fefellissent, nihilo fecius hoc item anno millesimo quingentesimo quinquagesimo septimo pacem denuo petere præsumebant, atque hanc in rem supremum Livonici Ordinis Magistrum, & Torpatensem, seu Derptensem Episcopum unacum pretiosis muneribus ablegabant, eo fine, ut hujus Principis animum per ipsorum perfidiam summe exasperatum placare niterentur. Hos Basilides, quam primum eos conspexerat, per duos interpretes sibi adstantes, ac Germanici, patriique idiomatis gnaros interrogabat, an pacem peterent: cum ergo illi, ut de pace agerent, se venisse responderent, & scyphos deauratos a Livonici Ordinis Magistro, & Episcopo Torpatensi missos offerrent, Basilides statim scyphos in triclinium proximum deferri jubet; & quamvis eorum obsequia ipsi non admodum ingrata essent, nihilominus suam eis perfidiam exprobrabat, eoquod toties pacta
vio-